

S I C I L I A.

NEMO veterum Historicorum vel Geographorum non meminit, atque studiose hanc Insulam descripsit; imprimis Strabo; Plinius; Solinus; aliique: ex Neotericis verò sic eam describit quidam: Sicilia non fertilitate modò (ob quam tamen Cereri & Baccho à veteribus consecrata fuit; & horreum etiam Urbis Romæ credita.) sed frequentia atque vetustate Oppidorum, annium commoditate, & rerum gestarum memoria, victoriisque Pœnorum & Romanorum altercantibus, super omnes alias insignis. Vrbes eius septuaginta duas Plinij ætas numeravit. hodie duodecim Episcopatus feruntur, latè patentibus diœcesibus. Tenuère eam multis annis Sueuorum Duces. Ab Anglis & Lotharingis etiam petita inuasâque fuit, hoc maximè tempore, quo in Syriam & Saracenos expeditiones sumebantur. Postremò in Regum Arragonum Hispaniæ manus peruenit, hodieque iisdem obsequitur. Neque alia est, quòd quidem sciam, toto Orbe Insula, quam ex æquo Græci & Latini scriptores partim nobilitate Insulæ, partim autem occasione rerum gestarum, celebriorem reddiderint. Qui plura velit, Benedictum Bordonium, qui omnes Orbis terrarum Insulas vno volumine compræhendit; Leandrum Albertum; Dominicum Nigrum; Marium Aretium, qui eam doctissime; & tandem Thomam Fasellum Siculum, qui eam exactissime, plenissimeque describit, legat: apud quem quoque Æthnæ montis historiam habes; de quo etiam Petrus Bembo peculiarem libellum edidit.

S A R D I N I A.

Huius Insulæ pulcherrimam habes descriptionem apud Munsterum, Auctore Sigismundo Arquero Calaritano Siculo. Eandem Leander Alb. Benedictus Bordonius, præter veteres Auctores habent. Hæc Romanorum rebus collapsis, Saracenis aliquando paruit; ab his interim à Pisanis vindicata fuit. Nunc verò vnà cum Sicilia Regno Hispanis subest.

M A L T A olim M E L I T A.

Hanc Insulam eleganter descripsit Quintinus Heduus, singularemque libellum de ea edidit. Hanc olim D. Paulus appulsu suo naufragio factò nobilem reddidit. Sed his Annis proximè elapsis, fugata illa Turcorum maxima classe, Hierosolymitanis Equitibus propugnatorib. eam fortiter, atque immortalis gloria defendentibus, multò celebrior facta est.

E L B A olim I L V A.

Turcorum Ducibus hodie hæc Insula paret, atque nouo propugnaculo aduersus Turcorum incursiones tuta facta videtur. De noua in hac Insula Stephanitarum Equitum (ad instar Hierosolymitanorum in Melita) Auctore Cosmo Medice, An. 1561. institutione. Vide Cælium Secundum, in bello Melitensi.

C O R F V olim C O R C Y R A.

Insula maris Adriatici, Venetorum ditionis, in ea Arx munitissima eiusdem nominis, præsidio contra Turcos obfirmata. eam describunt (omissis veteribus Geographis) Benedictus Bordonius, & N. Nicolai, in obseruationibus suis Orientalibus. &c.



Z E R B I.

Clades classis Christianorum, quæ Anno. 1560. apud hanc Insulam accidit, eam innotescere fecit. De situ, magnitudine, & quibus gubernetur, lege Ioannem Leonem Africanum, lib. 4. Descriptionis Africæ.

SEPTENTRIO.

INSVLARVM ALIQVOT MARIS MEDITERRANEI DESCRIPTIO.

Cum privilegio.



OCCIDENS.

ORIENS.

MERIDIES.

